ecclesiarum episcopi, illustres Bolko Falkembergensis, Bolko Opuliensis, Johannes Opauiae, Przemislaus Teschinensis duces, spectabiles Burghardus imperialis curiae magister, Johannes et Burghardus Magdeburgenses et Fridericus Nůremburgensis burgravii, Vlricus et Johannes Lutembergenses lantgravii et alii quam plures nostri et imperii sacri principes, nobiles et fideles praesentium sub imperialis maiestatis nostrae sigillo testimonio litterarum. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono indictione duodecima VIII°. Kalendas Julii regnorum nostrorum anno tertio decimo imperii vero quinto.

Per dominum . . Mindensem episcopum
Nicolaus de Chremser.

Auf der Rückseite: Rm Miliczius.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna. Das an Schnüren befestigt gewesene Siegel des Kaisers ist abhanden gekommen.

Horn nützl. Samml. z. e. hist. Handbibl. S. 203 (mit der falschen Datirung VIII.° Idus Julii).

No. 42. 1359. 24. Juni.

Kaiser Karl IV. beauftragt den Richter zu Pirna, das Verfahren gegen säumige Schuldner der Stadtbürger (vgl. No. 25) erforderlichen Falles ohne Nachsicht zur Anwendung zu bringen.

Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemiae rex fideli suo dilecto iudici in Pyrna qui nunc est et qui fuerit pro tempore gratiam suam et omne bonum. Cupientes ut cives civitatis nostrae Pyrnensis fideles nostri dilecti debitorum suorum solutionem a nobilibus baronibus militibus clientibus et incolis terrae facilius assequantur, tuae fidelitati concedimus gratiose tenore praesentium et favemus, ut quicumque ipsorum nobilium baronum militum clientum et incolarum pro negotiis et necessitatibus suis debita in ipsa civitate contraxerint et eadem debita creditoribus suis civibus et incolis Pyrnensibus in terminis ad solvendum assumptis non persolverint nec alias cum ipsis de debitis huiusmodi curaverint concordare, tu elapsis solutionum terminis res quascumque et subditos seu rusticos eorundem infra limites et circumferentias murorum seu iudicii praefatae civitatis inventas sive inventos auctoritate regia occupare detinere seu arrestare licite valeas et impune, donec per detentores seu retentores huiusmodi debitorum civibus ipsis puta creditoribus debita sua integraliter persolvantur vel ipsis pro debitis huiusmodi fecerint iustitiae complementum; provisurus omnino, ne in executione iustitiae te negligentem hiis qui illam petunt et petierint in futurum exhibeas, sed omni cura et solicitudine iuris et iustitiae cultor existas prout indignationem regiam et poenam pro negligentia debitam diligis evitare, praesentium sub imperialis maiestatis nostrae sigillo testimonio litterarum. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono VIII° Kalendas Julii regnorum nostrorum anno tertio decimo imperii vero quinto.

Per dominum . . Mindensem episcopum
Nicolaus de Chremser.

Auf der Rückseite: Rm Miliczius.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna mit dem zerbrochenen grossen Majestätssiegel mit Contrasigill an einem Pergamentstreifen.